



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

data est iam non solum peccas in legem scriptam, sed etiam in legem naturæ. Crescite dixit deus & multiplicamini, & benedictio legis est multiplicari &c. Vxorem non uis et tamen cupis mulierem, iam coram deo scortator es, ubi est ergo tua castitas? Hoc dico interim de sanctissimis patribus, qui à turpi opere uidentur abstinere, præter hos ferè omnes sentiunt quid uerint, nisi quæ excæcati stultis remedijs occurrunt frustra tam manifestæ insanie. Hæc omnia dixi contra illos, qui sub lege esse uolunt & ex lege sua uota defendunt, quæ etiam cõtra legem & faciunt & sentiunt. Itaque dum Christiani esse non possunt suis uotis (nam sunt contra Euangelicam libertatem, & impiam fiduciam habent annexam, id quod damnat Paulus in tota epi. ad Gal.) neque Iudæi sunt.

Ingressus. De hac lege supra ca. 22. de nido reperto &c. Hæc lex facit cõmunia quæ nondum sunt ex agris & uineis in domos nostros collecta, cõmunia inquã, ut illic edas, nihil auferas, edendo necessitati cõsulis, auferendo rapinam cõmittis. Et tu cuius ager est aut uinea si hoc permittis egeno aut peregrino lege cogente hypocrisis est, si libere, charitas est. Hinc in Euangelio non accusantur discipuli quæ excutiunt spicas, sed quæ sabbato &c.

CAPVT XXIII.

Hanc legē de repudio interpretatur Christus, Matth. 19. indicans, legem non praecepisse repudiū nisi ob fornicationē, sed tantū permisisse propter duriciam cordis Iudeorū, qui implacabili odio saeuiebant in uxores non dilectas, id quod lex ista sic dicit, Si non inuenerit mulier gratiā ante oculos uiri, propter aliquā fœditatē, id est, ex Heb. propter aliquid quod displiccat, scribet uir &c. ut uideas hoc permitti uiro, non præcipi. De adultera enim hæc lex intelligi nō potest, quæ lapidabatur. Verū immūdā facit hæc lex etiā corā domino, ut nō possit reuerti ad maritū priorē, si secūdus obiecit mortem uel ei dederit quoq; libellum repudij. Ut indicet dominus q̄ sancta uelit esse fœdera cōiugij ut sint duo in carne una. Illa enim mulier reuerti ad uirū non potest quæ nupsit alteri uiuēte marito. Dura quidem lex, sed dei iustitiā nobis indicat q̄ à marito deo aliqua fœditate alienatis reuerti ad eū non licet, si ad dentes impietatē alij marito nupsimus & contempta eius increpatione iugum eius abiecerimus. In qua damnatiōe tenebatur Adam cū toto genere humano, sed gratia hanc legis sententiam soluit, qua de re lege totum caput. 3. Hier. ubi hæc lex repetitur.

Cū acceperit. Supra ca. 20. non exit in bellum qui sponsam habet quā nondum accepit in thorū, quia talis attinet &c. Hic autē præcipitur, ut primo coniu-

gij anno sit liber ab omni onere publico ut possit suae domui providere & gaudere cū uxore. Ita nouit diuina pietas consulere & rebus nostris & nobis. Quis enim nescit pluribus indigere cōiugatos q̄ alios? Aut quō inter ipsos cōueniet si primo anno mutua cōsuetudine sibi nō fuerint deuincti? Necessaria est iugis consuetudo dum adhuc zelus & suspicio abesse nō possunt. Hoc tamē cer. ū credo, In nullo matrimonio uerā esse concordia ubi uerbū dei non regnat & c. Non sic consulūt doctrinae demoniorū. Hæc lex significat, primū ingressos in coniug. ū spirituale omni cōsolatione fouēdos ut gaudeant de remisso peccato & illuminata mente, donec discant crucē ferre, & indissolubili uinulo Christo hærere & c. Non accipies loco. Lex seipsam interpretatur, quia, inquit, animā suam apposuit tibi .i. uitā, hoc est illud unde sibi quærit uictum quotidianū, sicut illi qui uictū sibi parāt suis manibus per trusatiles molas. Significat autē nihil accipiendū loco pignoris quo interim nō possit cōmode carere proximus. Molaris alter sine altero non prodest.

Solicitans fratrem suū. Heb. furans animā ex fratribus suis ex filijs Israël. Lex talionis est, ut qui uendit animam, animā amittat. Quid igitur corā deo de seductoribus animarū? Occidētur à deo si hic occasione excōicatiōis nō resipuerint, de qua re supra dictū est.

Obserua. Quō quæso obseruabūt se à lepra cū

fit infirmitas? Respondeo, Hæc lex indicat clare illū populū sepe percussū lepra à deo propter contemptum uerbi dei, quod cōmissum erat sacerdotibus Leuitici generis & Moysi & prophetis, qui æque contempti habebantur propter uerbum, Esa. 28. & Hiere. 6. Cui loquar &c. Sic ergo obseruabunt ne incurrant lepram, si non cōtempserint uerbū dei & uerbi dei ministros. Sūt enim qui quasi sancti & Euangelici dicūt. Nos scimus æque ac ille, quid illum audimus? Hanc iniuriam suorum Euangelistarum & sui uerbi non suffert deus etiam si externa lepra non uideatur. Vide exemplum Mariæ, Nu. 12.

Cum repetes &c. Heb. Cum credes proximo tuo debitū aliquod &c. Hæc lex exigit ut nō tua electione accipis pignus sed electione debitoris, qui certe dabit quo cōmodius carere poterit. Verū si uideris hoc ipsum tale esse ut lectum aut uestimentum quo ipse eget, redde sole cadente i. eodē die, absq; spe etiā solutionis debiti. Hic enim ut maxime non poterit tibi reddere tamē promissione dei quā hæc lex habet accipis longe quid dā dignius quā dederis, nēpe ut benedicat tibi proximus in conspectu dei & tu coram deo iustus inueniaris. **Non negabis.**

Hæc lex debitū exigit pauperi mercenario & simul tibi cosulit, ne dum differs pauperi mercedem ipse maledicat tibi in conspectu dei qui est iudex uiduarum

et pater orphanorum et pauperum. Hic quoque repetendum est quid sit quod Christus dicit, Dignus est operarius mercede sua. Si uero hodie non indiget operarius mercede sua, non peccas in legem, si uolente eo altera die solueris. **Non occidentur.**

Secundum hoc fecit Amasias. 4. Reg. 14. Lex innocentem non condemat. Sed quid est quod deus scribitur sepe quasi contra hanc legem faciat, ut Exo. 14. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem. Idem et Nu. 14. et alibi? Respondeo, Hec lex committit iudicium hominibus, qui nihil iudicare possunt quam quod nouerunt. Ceterum dei iudicium est aliud, qui uidet filios ab iniquitate patrum non discedere, ideo simul reos uno iudicio condemat. Et hoc ipsum Ezechiel interpretatus est ex lege dei ca. 18. Ecce omnes anime mee sunt etc. Sed cur alios reuocet alios non, eidem iudicio committimus quod est nobis incomprehensibile, Ro. 9. et 11. quemadmodum non est nostrum intelligere cur alios a peccato Adae liberet per misericordiam, alios derelinquat per iustitiam. Liberatus est qui contra hoc iudicium non murmurat etc.

Non peruerteris. Satis nota lex ex ijs quae supra saepe diximus.

Quando messueris.

Quae toleranda sit lex charitatis haec declarant. Hec enim lex ex abundantia nostra consulit egenis, id est, quo nos carere possumus. 1. Cor. 8. et 9.